





17
Disputatio XIII.
DE BAPTISMO

EX

NONO ARTICULO AVGV-

stanæ Confessionis,

Ad cuius Theses:

A VXILIANTE DEO, PRÆSI-
DE ÆGIDIO HVNNIO, S. Theologiæ Do-
ctore & professore, IOACHIMVS PRAETO-
RIVS Lunæburgensis, 23. Martij, in Tem-
plo Arcis, horis pomeridianis respon-
dere conabitur.



WITTEBERGAE

Ex Chalcographia Welaciana,

M. D. XCIII.

DISPUTATIO DE
BAPTISMO EX NONO
Articulo Augustanæ confes-
sionis.

Propositio Prima.

DE Baptismo acturi, definimus illum lauacrum aque
in VERBO, quo lauacro homini in nomine patris,
Filii & Spiritus sancti asperso, Deus beneficia san-
guine filii patris cum offert, tum fidei interuentu
confert, donat & applicat.

2. Baptismus Verbo constat & aqua: ideoque lauacrum a-
que in verbo dicitur, 1 pbe. 5.

3. Verbum illud est Verbum mandati & promissionis. Ba-
ptizate in nomine patris, Filij, & Spiritus sancti, Matth. 28.
Et qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Marci. 9.

4. Aqua porro ratione substantiæ est aqua vera, sed usus
mystici ratione a reliquis aquis incomparabiliter segregata.

5. Hec aqua verbo mandati ac promissionis inclusa ad ip-
sam usq; animam, adeoque totum hominem à peccati sordibus
abluendum efficacissime pertingit.

6. Non quòd aqua, vel per se, vel ex opere operato aut
sub eodem cause genere, quo Christi sanguini & morti, vi a
saluificam illam attribuamus.

7. Sola enim gratia Dei nos saluat, quam sola Christi pas-
sio atque mors nobis acquirit, & acquisitam sola fides ample-
ctitur & apprehendit.

8. Sed quemadmodum Verbum Euangelij medium est seu
instrumentum, quo gratia Dei nobis offertur, simulq; fides, sa-
lutem apprehendens, in nobis accenditur: sic & baptismus
est medium, per quod Spiritus sanctus regenerans hominem,
accendit in illo veram fidem, & consequenter, mediante fide,
salutem efficit.

A 2 Itaque

9. Itaque sicut aqua Iordanis propter adiunctum verbum
promissionis valebant ad sanandum à lepra Naemanum Syrum:
quod nulla alia per orbem terrarum aquae prestare poterant:
ita sola baptismatis aqua, propter verbum & adiunctum Spi-
ritum sanctum, admirabilem hanc facultatem obtinet pene-
trandi ad animae usque lepram peccati spiritualem curandam
hominemq; à peccati labe perpurgandum.

10. Et quia, Christo teste, renascimur **EX AQUA &**
Spiritu Ioan. 3. & in baptismo peccata nostra abluimus, Act. 22.
& in mortem Christi baptizamur Rom. 6. & Christum ibi
induimus, Gal. 3. & mundamur à peccatis lauacro aquae per
verbum, Ephes. 5. renouationis Spiritus sancti, Tit. 3. & 1. Pe-
tri 3. sequitur, periculose errare Calvinistas, qui pro hac effi-
cacia baptismi substituunt significationem talem, quòd quam-
certò homo aspergatur in baptismo aqua, qua sordes corpo-
ris auferre solet: tam certò emundetur sanguine & Spiritu
Christi ab impuritate animae & à peccatis.

Significatio Calvinianorum
quam & baptismi effectus
substituunt

11. At Diuus petrus scribens, non eò esse ordinatam bap-
tismatis aquam, ut carnis sordes abluat, sed ut conscientia be-
nè respondeat apud Deum, nonne palam veiat, usum aquae
baptismi collocare in ablutione externa corporis, indeq; Sacra-
mentaria illius significationis analogiam extruere?

12. Imo Beza & affecta, ne unum quidem infantem la-
uacro aquae regenerari contendunt. Siquidem eorum, quos
absolutè reprobatos mentiuntur, nunquam aiunt regenerari, si
vel millies baptizentur. Qui vero sint ex electis, regenerari
demum in adulta aetate, cum fidei ex verbi auditu accipiendae
capaces fuerint.

13. Nos hominem dicimus in ipso baptismo renasci verè
ex aqua & Spiritu, eiq; vel conferri regenerationem, qua om-
ni prius caruerat, ut contingit in infantibus, vel collata prius
per verbum regenerationis augmentum per baptismum iribat,
ut in cornelio, Lydia, & alijs, Act. 10. & 16.

14. Et autem infantes baptizatos omnes verè regeneratos *Marc. 16.*
esse credimus (quod illorum sit regnum caelorum, neque sit *Marc. 16.*
voluntas patris *ut V. N. V. S. pereat de pusillis istis, ne vim bap-*
tismi per hypocrisin aut impœnitentiam euacuent) sic adultis, *de regerone adultorum*
qui in ipso baptismatis actu cordis perversitate laborant, con- *hypocritarum*
fertur quidem lauacrum regenerationis, hoc est, Baptismus
ratione substantia integer, qui per se, ex Dei instituto est re-
generationis lauacrum, regeneratio verò ipsa propter illorum
incredulitatem planè non confertur eis.

15. Haud aliter ac in Cœna Domini datur etiam hypocri-
tis & indignis vivificum Christi corpus, vivifica verò illius vis
& consolatio eis non obtingit.

16. Et in concione verbi audiunt hypocrita ipsum *VITAE*
AETERNAE sermonem, nec tamen inde vivificantur; obstans
se & hic in Sacramentis infidelitate illorum.

17. Indubitata sunt axiomata, Regenerationem à fide & iu-
stificatione nunquam esse separatam; Regeneratis ingressum
patere in regnum caelorum. *Iohan. 3.* Regeneratos esse filios
Dei. *Iohan. 1.* Regeneratos (quam diu tales sunt) non peccare,
videlicet ex proposito & contra conscientiam. *1. Iohan. 3.* &
quicquid ex Deo natum seu regeneratum est, vincere mun-
dum. *1. Iohan. 5.*

18. Iam hypocritis quamdiu sunt impœnitentes hypocrite,
neque fides competit, neque iustificatio, ne ingressus in re-
gnum caelorum, nec ius filiorum Dei, nec regnat apud illos
propositum non peccandi, quod Ioannes renatis tribuit, nec vi-
ctoria adversus mundum, ut qui mundi delicijs immergi, mun-
diq; principi succedi & mancipati sunt.

19. Non igitur accenseri possunt renatis, quando bap-
tizantur in sua impœnitentia.

20. Postea tamen predicatione verbi (quod ipsum quoque
est regenerationis organum, *1. Cor. 4.* & *1. Pet. 1.*) conuersi
possidere incipiunt bona in illorum baptismo olim quasi depo-

fit, que tamen antequam pœnitentiam agerent, neque tñ
utq̄ta habebant, carentes fide, unico accipiendæ habendæ, &
possidendæ gratiæ Dei organo, neque tñ q̄ta bonis ijs ute-
bantur & fruebantur.

21. Neque est ut ad intentionem Dei respiciendo dicat
quis, hypocritas in suo baptismo regenerari quoad Deum.

22. Etenim quia intentio Dei non minus eò spectat, ut fi-
dem consequantur baptizati, quam regenerationem: liceret
pari absurditate dicere, incredulos illos hypocritas esse fide
preditos, quoad Deum.

23. Non verò sic loquitur vel scriptura vel Ecclesia, que
regeneratum nominat eum, qui ipso actu regeneratus est, ius-
tificatum, in quo actus iustificationis peractus est. Aliud est
loqui de velle Dei, quod sæpè in actum non traucitur. Ideo-
que ab hoc velle & intentione Dei ad effectum ipsum ratio-
parifas non est.

24. Aliàs ex hoc diuine intentionis respectu liceret astrue-
re, omnes qui audiunt verbum, conuerii; omnes qui accedunt
Cenam Domini, accipere corpus & sanguinem Christi ad salu-
tem, quia Dei intentio in verbo & sacramentis huc collimat, ut
omnes conuertantur & saluentur.

25. Itaque ut homo baptizatus reputetur pro filio & hæ-
rede, absoluaturs à peccatis, expurgetur à natua labe, ut exhi-
beantur & effundantur super ipsum dona gratiæ cœlestis que-
cunque ad iusticiam & regenerationem pertinent: fides ne-
cessariò requiritur: qua qui carent, nihil omnium horum conse-
guntur, siue quoad Deum (qui hæc cœlestia beneficia non
nisi credentibus confert) siue quoad ipsosmet hypocritas, in
quibus nihil horum peragitur.

26. Et certum est, regenerationem, adoptionem in filios,
effusionem donorum gratiæ cœlestis, stare cum infidelitate hy-
pocritis, & impenitentia, nullo modo posse.

27. Quare contrarius potius effectus in hypocritarum ba-
ptismo

primo se ostendit, videlicet iudicium & damnatio, quae cum
denunciatur OMNIBUS non credentibus, Ioan. 3. per bap-
tismum infideli & hypocritico corde susceptum ea non minu-
tur sed horribiliter aggravatur.

28. Quoniam ergo scriptura omnibus sine ulla prorsus ex-
ceptione, infidelibus iudicium & damnationem denunciat, qua-
mente nos hypocritis incredulis, quamlibet baptizatis adscri-
bere vellemus regenerationem, adoptionem filiorum Dei, do-
nationem Spiritus Sancti, & hereditatem caelestem?

29. Et num tandem cum Papistis docuimus, Sacramenta
etiam sine fide, ex opere operato, prodesse ad haec iam diuina
caelestiaq. beneficia conferenda quae non ad substantiam bap-
tismi, sed eiusdem salutarem fructum pertinere constat.

30. Itaque locus Gal. 2. Omnes vos filij Dei estis, eo quod
CREDIDISTIS Christo Iesu. Nam QUICUNQUE
baptizati estis, Christum induistis; manifeste loquitur de bap-
tizatis CREDENTIBUS. de baptizatis FILLIS Dei,
de his baptizatis, qui Christum tanquam nuptialem vestem in-
duerunt. Hypocritas autem carere veste illa nuptiali, autor est
Christus in parabola, Matth. 22.

31. Et omnes quidem in mortem Christi baptizati sumus,
sed ita, ut beneficia mortis Christi, inter quae numeratur etiam
Regeneratio, NON NISI credentibus obtingant.

32. Necessitatem baptismi quod attinet, recte sentit Au-
gustana confessio, baptismum esse necessarium ADSALV-
TEM. Quod cum dicto Christi congruit: Amen dico tibi, nisi
quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi re-
gnum caelorum.

33. Proinde Calviniani statuentes, esse quidem bap-
tismum necessarium propter mandatum Dei, non vero esse AD
SALVTEM necessarium, ab Augustana Confessione manifeste
recedunt.

Quam

33. Quamquam autem his infantibus, qui ad baptismum perueniunt, sic ad salutem est necessarius Baptismus, ut non aliter eis ingressus in regnum caelorum pateat, quam baptismo & renascentia ex aqua & spiritu: tamen in his, qui morte praeventi baptismi compotes fieri nequeunt, Deus extra communem ordinem immediata actione salutem operatur. Quod exemplum paruulorum in deserto, ut & latronis in cruce historia testatur.

35. Alias necessarius est baptismus infantibus, quod sunt Caro de carne nati. Iohan. 3. & natura filij irae, sicut & ceteri, Ephe. 2.

36. Errant igitur Sacramentarij, qui Christianorum liberos etiam antequam baptizantur, fingunt esse sanctos, esse in gratia Dei, imò in ipso illo fiedere gratiae nasci.

37. Stante enim assertione Christi: Amen dico tibi, Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu: NON POTEST ingredi regnum caelorum. Iohan. 3, necessario ruit modo dicta Sacramentariorum opinio.

38. Et sicut olim extra Arcam Noe nemo seruabatur ab aquis diluuij: sic extra baptismum ordinariè non sunt salutis compotes infantes.

39. Multo verò minus extra baptizatorum cœtum, apud populos infideles, verbo & Sacramentis destitutos, ulla est regeneratio, ulla remissio peccatorum, ulla sanctificatio, ulla salus.

40. In sola Ecclesia fit redemptionis, quam christus toti aliàs mundo peperit, applicatio, per verbum & Sacramenta, idq; fidei interuentu: extra vel supra hanc applicationem nulla fingenda est hominum nunquam crediturorum, vel salus, vel ad salutem predestinatio, vel etiam iustificatio.

F I N I S.

AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





Disputatio XIII.
DE BAPTISMO

EX
NONO ARTICULO AVGV-
STANÆ Confessionis,

Ad cuius Theses:
AVXILIANTE DEO, PRÆSI-
DE ÆGIDIO HVNNIO, S. Theologiæ Do-
ctore & professore, IOACHIMVS PRAETO-
RIVS Lunæburgensis, 23. Martij, in Tem-
plo Arcis, horis pomeridianis respon-
dere conabitur.



VVITEBERGAE
Ex Chalcographia Welaciana.

M. D. XCIII.

